



**Protestatio nullitatis : Adversus Condemnationem  
Orthodoxarum Ecclesiarum, nuper institutam a? quibusdam  
Doctoribus ubiquitariis,**

<https://hdl.handle.net/1874/424838>

9

# PROTESTATIO NVLLITATIS

*Aduersus Condemnationem Orthodo-  
xarum Ecclesiarum, nuper insti-  
tutam à quibusdam Do-  
ctoribus ubiqüi-  
tarijs:*

Auctore

JOANNE PALMERIO.



1. Corinth. 4.

Mihi pro minimo est, quod à vobis iu-  
dicer: Dominus est, qui me iudicat,

ОИТАСЭТОЯ

СИТАТИИ

Сибирь  
Сибирь  
Сибирь  
Сибирь  
Сибирь  
Сибирь  
Сибирь

Англия

Сибирь



Сибирь  
Сибирь  
Сибирь  
Сибирь

Сибирь

# PROTESTATIO NVL-

LITATIS ADVERSUS CON-

demnationem Orthodoxarum Ecclesia-

rum, nuper institutam à quibus-

dam Doctoribus ubi.

quitarijs.

**D**ICI non potest, quantis laudibus digni sint illustrissimi, potentissimi & clementissimi Germaniae Principes, Evangelium Domini nostri Iesu Christi, in Augustana confessione amplexi: quod cum varium & multiplex exortum inter suos Theologos de religione discedium viderent, summam pro sua singulari & eximia pietate contentionem adhibuerunt, ut illud, tamquam certissimum Ecclesiarum suarum incendium, extinguerent. Neque sine iusta & graui causa vide-  
mus nobis ab Apostolo præceptum fuisse, 1. Tim. 2.  
ut Regum & Principum eiusmodi salutem ac dignitatem Deo Opt. Max. in precibus nostris commedemus: quippe, qui in istiusmodi rerum perturbationibus & ciuium suorum discordiis primam ac potissimum

A ij

Iuctus & molestiarum partem sustineant.  
 Neque puto grauiores nobis tenuibus ho-  
 munculis dolores accidere ex Ecclesiarum  
 nostrarum calamitatibus & persecutioni-  
 bus, ex patrię aut patrimonij amissione, cō-  
 iugum ac liberoru interitu, quām istis He-  
 roicæ virtutis Principibus accidere solet  
 ex hac tam inueterata & pertinaci Theo-  
 logorum suorum concertatione: præser-  
 tūm cūm ijs in mentē venit, & pro sua sum-  
 ma sapientia facile animaduertunt, istas Pa-  
 storū rixas, magnam lupis ac leonibus fe-  
 nestram in ecclesiās, & gregem ipsorum fi-  
 dei commissum aperire: quia dum illi scho-  
 lasticis suis discordiis & disputationibus e-  
 xercendis occupati sunt, circumcursat Leo-  
 rugiēs ( vt Petrus scribit ) & quæritat quos  
 deuoret, aditūmque sibi aliquem intra se-  
 p̄ta Christiani ouilis molitur: ad quod vel  
 exigua ei rima satis supérque est: vt de fele  
 & adultero Apollodorus cecinit:

Καὶ πλέον ἡ Θύρα μοχλοῖς. ἀλλ' εἰς  
 Τείλου ὁ χυρὸν ἔτις ἐποίησεν Θύρα  
 Διὶ τῷ γαλῆ καὶ μοχλὸς ἢ εἰσέρχεται.

Quemadmodum igitur idem hoc studium  
 tuende à Sathanē insidiis Ecclesię, summis  
 laudibus celebratur in Dauidē, Ezechia, &  
 Iosia, itēmque in Iosaphato & Asa: post  
 Christi

N V L L I T A T I S.

Christi autem ætatem in Constantino, Va  
lentiniano & Theodosio: ita nos Illustrissi-  
morum Germaniæ Principum tantam in  
sedandis Theologorum discordiis conten-  
tionem ac diligentiam prædicare iure ac  
meritò possimus ac debemus: qui horum  
Imperatorum pietatem imitātur, quorum  
ætate Christi Ecclesiæ miserandum in mo-  
dum, istiusmodi fluctibus ac tempestatibus  
iactatæ, atque exercitæ fuerunt. Laudet ut  
ergo Deus omnipotēs, æternus Pater Dō-  
mini nostri Iesu Christi, qui Spiritu suo fan-  
cto tam pios & religiosos Principes nostris  
temporibus excitauit: beatamque & fortu-  
natam Germaniam prædicemus, cui sub il-  
lorum Heroum imperio, vera & casta Rel-  
igione frui cōceditur, Deumque puro cul-  
tu inuocare, & ab impijs Papatus idolela-  
triis abstinere: quandoquidem ( vt in Psal-  
mo quodam scriptum est) Non fecit ita <sup>psalm.</sup> <sub>147.8.</sub>  
omni nationi. Simul etiam pii & veræ re-  
ligionis amantes Germani meminerint,  
iampridem magna ex parte ad se concio-  
nem illam Dei, toties in litteris sacris incul-  
catam, pertinere, cùm populo Israelio de-  
monstrat, nullam tum fuisse sub cœlo gen-  
tem, cui sua iura & leges, hoc est, sui colen-  
di rationem tradidisset: vt illa Iudæorum

civitas, quasi terrestre quoddam Dei domicilium videretur. Videant boni & cordati viri, quales sunt in Germania innumerabiles, ne tanto & tam immortali Dei beneficio abutantur: quādoquidem donationes, quantumuis perfectæ, tamen propter ingratitudinem reuocantur. cuius rei exempla nobis cūm Iudæi & Orientales & Afri-  
tum etiam alię complures gentes ac natio-  
nes suppeditant. Quorsum hæc? dicet for-  
tasse Lector aliquis benevolus. Quoniam,  
inquā, perferūtur per Ecclesiæ scripta que-  
dā, quorū autores, nō modò misericordia & cala-  
mitosis crudeliter insultant, verum etiam  
stulta & barbara quadam arrogantia nouas  
nobis arbitratu suo Religionis leges, tám-  
quam factorum Pontifices, imponunt: eāf-  
que hac pœna fanciunt, vt qui legibus iis  
non paruerint, & nescio cui occulto & ar-  
cano Doctrinæ corpori non subscripte-  
rint, deinceps in impiorū & scelerorum  
numero habeantur. Nam illud te, benevo-  
le Lector, scire oportet, quemadmodum  
olim Cereris mysteria contineri à mysta-  
gogis in arcano solebant, nec nisi vel ini-  
tiatis vel initiandis magna cum ceremonia  
ostendebantur: sic volumen illud, et si cir-  
citer duobus ab hinc annis Germanica lin-  
gua

qua conscriptum fuit: tamē nulli propè vīs  
que adhuc visum aut cognitum , nisi à quo  
paratissimum suffragium & subscriptio ex-  
spectaretur. Verumtamen cùm eius legen-  
di copiam nobis amicus quidā fecisset, of-  
ficij ac pietatis nostræ esse existimauimus,  
nostram de illo sententiam paucis expo-  
nere. Duas enim eius præcipuas esse partes  
animaduertimus. vnam,qua Religionis do-  
ctrina, certorum istorum hominum arbi-  
tratu comprehensa est: altera , qua C O N-  
D E M N A T I O eorum omnium cōtinetur,  
qui etsi ab impio Antichristi Rom. domi-  
natū sese in libertatem Euangelicam vin-  
dicarūt, tamen eius libri decretis omnibus  
stare,& in ipsius leges iurare detrectabunt.  
Eius autem condemnationis ea ( vt paulo  
antè dixi) vis est, vt non modò Germani  
innumerabiles, qui aliam de paucis quibus  
dam Religionis capitibus sententiam ha-  
bent, verumetiam Heluetij, Galli, Poloni,  
Angli, Scoti, Belgæ, Itali, Hungari, Bohe-  
mi, qui venerari hoc Palladium detrecta-  
bunt, pro Hæreticis habeantur: iisque se-  
cūdum tabulas testamēti ab homine quo-  
dam violentissimo conscripti , aqua & igni  
per vniuersam Germaniam interdicatur.  
Ac priorem quidem partem , quæ tota in

præcipiendo & magistrali quodam doctrinæ genere consumitur, quia scio non semel ab aliis nostrarum Ecclesiarum fratribus ( quatenus verbo Dei consentanea non est ) strictim ac breuiter esse refutatam, nihil necesse est attingere:ne, quod vetere proverbio vetamur, actum agamus. Alteram partem, quæ ( vt dixi ) superbè & arroganter capit is nostri C O N D E M N A T I O N E M cōtinet, paulisper excutiemus, & considerabimus, an aduersus tam atrocem sententiam aliquas nullitatis causas proferre possimus.

P R I M A igitur Nullitatis causa est, Iudicium incompetentiæ. nam, ut aliquando ex Iurisconsultis didicimus, Iudex is demū idoneus dicitur, qui iurisdictioni præst, aut à Principe potestate aliqua præditus est, aut ab eo qui ius dandi Iudices habet datus est, aut denique cui se partes communii consensu subiecerūt. Atqui neq; Germanicæ religionis vtriusvis Antistites iuri inter Gallos, Anglos, Belgas, Polonos, certásque gentes extra suum territorium positas, dicudo præfunt: neque hodie Princeps nullus est, qui solus tot gentibus ac populis dominetur, iisque dare pro potestate Iudices

ces possit: neque omnino quisquam hodie  
est præter Romanum Sathanæ Vicarium,  
qui ius istud dandorum arbitratu suo iudi-  
cum usurpet. Postremò, nemo vñquā no-  
strūm in istos iudices consensit, ac ne con-  
sentire quidem cuiquam nostrum in men-  
tem venit: quippe, qui ne virum quidem a-  
tri an albi sint, nouerimus: neque vbi forū  
istud tā litigiosum agāt, aut iurisdictionem  
tam acerbā exerceat. Nam, quod nūquam  
post hominū genus natū auditum arbitra-  
mur, ij ipsi à quibus hæc aduersus nos Con-  
demnatio pronūtiata est, etiam sua quoad  
possunt nomina reticēt: vt nihil de iis, nisi  
quod fama & rumore ad nos perlatum est,  
cōpertum habeamus. Ac ne quis fortè no-  
strā hanc de Iudicū incōpetentia dispu-  
tationē, tanquam merè forensem, & à Re-  
ligione abhorrentē repudiet, dicimus eam  
à Christo ipso magistro ac Doctore nostro  
usurpatam, cùm litigatores quosdam ad se,  
tamquam ad Iudicem, adeuntes, notis illis  
verbis increpuit: Quis me iudicē inter vos Lnc. 12.  
constituit? Quo loco non obscurè demon-  
strat, neminem publicum istud de aliis iu-  
dicandi munus sine legitima vocatione su-  
scipere oportere. Itaque Deus in Israelia  
Republ. suos cuique ciuitati Iudices attri-

## 10 PROTESTATIO

*Deut. I.*

13.

*I. Cor. 4.*

buit: neque alteri in alterius ciuitatis ciues  
ius dicere permisit: notumque illud est A-  
postoli, Corinthios quosdam superbos, &  
Pontificum istorum simillimos increpan-  
tis: Mihi pro minimo est, quod à vobis iu-  
dicer: Dominus est qui me iudicat. Atque  
hæc quidem de prima Nullitate hactenus.

**S E C V N D A** Nullitatis causa est, iudicum  
istorum indignitas, inhabilitas, incapaci-  
tas, insufficientia, quam esse variam & mul-  
tiplicè ostendemus. Voluminis istius com-  
pilatores atque architecti, sunt Nouæ &  
peregrinæ cuiusdam Diuæ V B I Q V I T A-  
T I S Antistites: quam Diabolus videtur eo  
consilio in Germaniam induxisse, ut vim  
eximiæ Cœnæ Dominicæ obscuraret, vel  
potius extingueret. Nam si Christi huma-  
nitas vbique est, si corpus Christi æquè est  
in glande, aut nuce, aut pyro, ut in pane &  
vino Cœnæ: népe nihil mirum fuerit, præ-  
sentem adesse Christum, in, sub, vel cum  
pane: quum id, et si non ad eundem finem,  
pariter tamen omnibus in rebus cueniat, si  
quod isti volunt, ipsis concedatur. Quid i-  
gitur, obsecro, D. Luthero, vel ipsius anta-  
gonistis in mentem venit, ut de præsentia  
carnis Christi in Cœna disputates de illorū  
verbo-

verborū (Hoc est corpus meū) sentētia tādiu cōtenderēt, si ad illā asserendā illud suf-  
ficit, de quo non querebatur, nempe, Ver-  
bū caro factum est? si, inquam, à momēto  
hypostaticē vniōnis pendet Christi carnis  
präsentia omnibus in rebus, quorsum ad  
eam asserendā de institutionis Cœnæ Do-  
mini verbis disceptatur? Secunda indi-  
gnitatis ratio est, quoniam isti Condemna-  
tores nostri sunt (vt Petrus Apostolus lo-  
quitur) αλλοτριεπίσκοποι: ac propter eam cau-  
sam reiiciendi ac recusabiles. Nam, (quod  
probatione longius accersenda non eget)  
si quando cōciones ad populum habeant,  
non gregis sui vitia & corruptelas, nō pro-  
fanum religionis fastidiū, non assiduas quo-  
rūdam perpotationes, ingluuiē, helluatio-  
nes, crapulas, ingurgitationes reprehendūt:  
sed illis, quę ante oculos sunt, omissis, in lō-  
ginquarū gentiū instituta inquirunt: atque

*Excusi propriis aliena negotia curant: vt ve-  
tus poëta cecinit: ac perpetuò in Zuinglia-  
nos, in Caluinistas, & Sacramentarios in-  
uehuntur, vt in veterē prouerbio est:*

Aπαντές εσμόντε εἰς τὸν φερεν Κροῖ,  
Αὔροι δὲ αμαρτάνοντες τὸ γυνώσκομόν μου.  
Tertia indignitatis ratio est, quod nonnulli  
eorum cum offensione & scandalo mul-

torum ecclesias & greges suæ fidei cōmīs-  
fos negligūt: tempūsque in cursitationibus  
& quāstuosis legationibus consumunt: am-  
bitioni & auaritiæ dediti, liberalitate Prin-  
cipum ad suum quāstum abutuntur. quod  
genus hominum quām sit Ecclesiæ Christi  
pestiferum, vel eo tempore cognitum est,  
cūm Ariani tantūm potuerunt, vt Arium  
tam celebri Synodo damnatū ab exilio re-  
uocandum & Athanasium expellendū cu-

*Ezech. 34.* rarent. Vę vobis Pastores, inquit Dominus,  
qui non gregem meum, sed vosmetipos  
pascitis. vescimini lacte: vestimini lana: &  
quę pinguiores sunt oves, eas occiditis. E-  
quidem oves meas è manibus vestris exi-  
gam, dicit Dominus. Fatemur non esse in  
hominum potestate patientia & fortitudi-  
ne sua martyrii coronam adipisci. Sed non  
tam est gloriosum à pastoribus ecclesiæ  
Christi prēdicari, Tot legationes principis  
illius nomine p Germaniā obij, tot scyphis  
argenteis, tot cathenis aureis sum donatus,  
*3. Cor. II.* q̄ illud quod de se Apostolus gloriabatur:  
Quinques quadragenis (minus vna) pla-  
gis sum affectus, ter virgis cęsus, semel lapi-  
datus, ter naufragus, nocte & diē in profun-  
do transfigi: versatus sum sępe in ærumnis,  
in vigiliis, in fame, in siti, in frigore & nudi-  
tate.

tate. Hæc nimirū vera Theologia est, quæ  
in cruce & ærumnis & calamitatibus exer-  
cetur: non illa mollis, delicata, vmbritilis,  
quæ in gynæcæis & conuiuiis & quæstuo-  
sis legationibus cōsumitur. Quarta indi-  
gnitatis ratio est, quòd isti violenti Con-  
demnatores nostri maximis & grauissimis  
de rebus inter se dissentiūt: atque ut quon-  
dam Madianitæ, Cadmæi fratres, Andaba-  
tæ, sic illi plerunque odiis, conuiciis, rixis  
inter se cōflictantur: ut tatarum inter ipsos  
discordiarum pios & cordatos viros, etiam  
qui non optimam de nobis opinionem im-  
biberunt, magnoperè interdum pudeat.  
Vigandus ruper Heshusum hærefess da-  
mnatum è Borussia præcipitem eiecit, pro-  
pterea quòd impium illud dogma & ad in-  
staurandam ἀρχαρχεῖαν accōmodatissimum  
& cum vbiuitate maximè consentaneum  
in Ecclesiam inducere conabatur: Hu-  
manitatem Christi in abstracto esse adoran-  
dam. Dies me deficiat, si pugnas illorum &  
concertationes ciusmodi proferre cœpe-  
ro: quales, ut verè dicam, inter veteres Phi-  
losophos in Græco quodam dialogo com-  
memorantur. Itaque cum istius voluminis  
compilatores pañsim apud suos Principes  
predicent, se disputationes & concertatio-

nes omnes hoc scripto compressisse, cœ-  
pere hi vericuli passim per Germaniam  
circumferri:

*Vulcanum aut fornax, aut ars ignota fefellit:*

*Eip̄v̄l̄w dum vult crudere, crudit̄ eis.*

Quinta indignitatis ratio est, quod Con-  
demnatores nostri toto terrarum orbe in-  
fames habētūr, propter fœdissimum ingra-  
titudinis crimen aduersus summum illum  
& præstantem virum P H I L I P P V M M E-  
L A N T H O N E M, nō tam ipsorū (vt quon-  
dam etiam ambitiosē loquebantur) quām  
omnium, quicunque hodie in orbe terra-  
rum litteratorum nomen obtinent, magi-  
strum ac præceptorem. Cuius ingratitudi-  
nis dicam, an impietatis meum pectus me-  
moria excruciat. Hæccinē à vobis (ô ve-  
cordes & ingratiti discipuli) tanto illi & tam  
eruditio Præceptoris gratia refertur? in quē  
illud elogium plurimæ consentiunt gētes,  
(vt de Attilio Calatino quōdam dictū est)  
Populi primarium fuisse virum: quem verē  
Solem Germaniæ non modò hæc ætas ap-  
pellat, verū etiam posteritas ad omnes  
seculorum ætates nominabit: quem non  
modò de patria, verū etiam de gentibus  
omnibus, apud quas bonæ literæ atque ar-  
tes exercentur, optime meritum omnes si-  
ne villa

ne villa controuersia consentiunt. Vetus &  
verum illud *Æschyli verbum est* (ô ingra-  
tifici Argui, immemores beneficij) *Tal* ~~τον~~  
~~νέτη οφείλεται τέκνα μα τον πόνον πλέος.~~ Ecquenam  
ista barbarorum hominum est immanitas?  
quod propudiū? cui nuper viuo & floren-  
ti, & tanta apud summos quosque Princi-  
pes auctoritate prædicto blandissimè adsen-  
tiebantur, eius mortui memoriaz insultare,  
& eius scripta de piorum adolescentiū ma-  
nibus excutere: atque adeò pro hæreticis  
oblitterare, atq; extinguerē? ecquonam  
verū argumento? an quod à Lutherō qui-  
busdā in rebus dissentiat? atqui Lutheri in-  
signe hoc de Philippo elogiū in Operum  
ipsius præfatione his extat verbis: *Multum*  
*diuque illis restiti, qui meos libros, seu verius mea-*  
*rum lucubrationum confusione editas voluerunt:*  
*cum exstant Dei gratia methodici libri quam plu-*  
*rimi, inter quos loci communes Philippi excellunt,*  
*quibus Theologus & Episcopus pulcrè & abun-*  
*dè formari potest. Item aliquanto post: Eodem*  
*anno Philippus Melanthon à Principe vocatus*  
*fuerat ad docendas litteras Græcas: haud dubie, ut*  
*haberem socium laboris in Theologia, nam quid o-*  
*peratus sit Dominus per hoc organum, non in lit-*  
*teris tantum, sed etiam in Theologia, satis restan-*  
*tur eius Opera, etiamsi irascatur Sathan & omnes*

*eius squame.* Quibus Lutheri verbis vtrum  
ingrati discipuli, Sathanæ, an squamarum  
ipſius vocabulo designentur, cuius facilis  
existimandi copia est. Verum hęc, quę ne-  
que sine lacrymis, neque sine fœdissima  
Germaniæ labe, macula, turpitudine, infa-  
mia, qua illam iſti aspergunt, cōmemorari,  
neque satis dolenter ac luctuosè pro rei in-  
dignitate deplorari possunt, aliud in tem-  
pus differemus: atque ad tertiam Nullita-  
tis caufam progrediemur.

T E R T I A igitur Nullitatis cauſa hęc  
erit, quod ista nostrorum Cōdemnatorum  
ſententia pronuntiata eſt contra legitimū  
iudiciorum omnium ordinem, iuncta &  
incognita cauſa, & partibus non modò nō  
auditis, verum ne citatis quidem, aut ullo  
legitimo modo euocatis. *μήτε δινέας διαστοι,*  
*τοπίν αὐτοῖν μύθου ἀκέστοις,* inquit Ascræus ſe-  
nex, haud paulo melior quam quiuis iſto-  
rum Condemnatorum & poeta & iudex.  
Itaque vetus iudicium Atheniensium iuſu  
rādum illud fuit, *οἰκοταῖς αὐτοῖν ἀκροεῖδαι.* Cūm  
seniores Iudaici populi ad radices montis  
*Exo. 24.* Sinai res iudicabant, Scriptura testatur, eos  
*Deut. 17.* vtraque parte audita, & cauſa vtrique  
*v. 4. 5. 6.* perorata, ſententias pronuntiasse. Cūm Sa-  
lomon

I. Reg. 3.

Gen. 36

Iomon inter duas mulieres nobile & sapiens illud iudicium pronunciauit, non nisi vocata & audita vtraque parte pronunciauit. Etsi Deus Adamum & Euam sumnum in se facinus admisisse sciret, tamen nō prius eos damnauit, quām causam apud se dicere iussisset. Etsi Sodomitas sciebat fœdissimo se & spurcissimo scelere polluisse, tamen descensurum se dixit, & cognitum. quid multa? quamuis Iudæi sceleratè atque impiè Christo necē ac perniciem molirentur, solennem tamen & vstitatam legitimi iudicij formam in eo damnando, vel dicas caussa, conseruarunt. Nomen eius ad Caiaphā Pont. Max. detulerūt. mox illius decreto cōprehensum ad ordinariū Seniorum populi consilium, cui consilio idem Pontifex præerat, adduxerunt. Eò testes produci, atque auditi sunt. cum minus idoneum testimonium videretur, iuriurandum reo delatum est. confessio rei haberi pro re iudicata poterat. rogata tamen sententiæ sunt: & pronuntiata capitalis condemnatio. Et cùm eum aliquando inauditum damnare vellēt, merito à Nicodemo ad legis præscriptum reuocantur. An Lex nostra ( inquit ille ) cōdemnat quempiam, nisi prius audiuerit ab ipso, & cognouerit

B

quid faciat? Neque ullam tam immianē gen  
tem esse arbitror, quæ hunc ciuilē, ac pro  
pè dicam naturalem iudiciorum ordinem  
non obseruet. tantū abest, ut quidquam  
in Ecclesia Christi non ritè atq; ordine ge  
ri debeat: præsertim vbi animarum salus,  
conscientiarum tranquillitas, & ( quod ca  
put est ) gloria Dei immortalis agitur. Ita  
que plenum est primum Lutheri operum  
volumen appellationum à Papæ & Cardi  
nalium condemnatione, & disputationum  
se non potuisse indicta & incognita causa  
damnari.

Q V A R T A Nullitatis causa est, quòd  
nostrī Condemnatores, certis Lutheri li  
bris eandem, quam Scripturæ sacræ, & pri  
mis quatuor Ecclesiæ Conciliis auctorita  
tem tribuunt: eo cōfilio, vt nos posthac in  
illos libros æquè atque in ipsum Domini  
verbum iurare compellant. In quo quan  
tam illi præstantissimo & fortissimo Chri  
sti seruo iniuriā faciant, licebit ex his ipsius  
verbis cognoscere, quæ ex Oratione ipsius  
coram Imperatore Carolo V. anno 1521.  
habita describemus: *Nec me sanctum aliquem  
facio: sed quia homo sum, & non Deus, alio pa  
trocino libellis meis adesse non possum, quæ ipse  
Dominus*

Dominus Iesus adfuit suæ doctrinæ, qui cùm coram Anna de doctrina interrogatus esset, & alapam à ministro accepisset, dixit: Si male locutus sum, testimoniū perhibe de malo. Si Dominus ipse, qui sciebat se errare non posse, non tamen detrectat testimoniū aduersus suam doctrinam audire, etiam à vilissimo seruo: quanto magis ego fex, non potens nisi errare, debeo expetere & exspectare, si quis testimonium reddere velit aduersus meam doctrinam? Hæc Lutherus. Et profectò ita est. Nam τολυχαφότας, hominem statuere labi & errare non posse, nihil aliud est, quām eum hominem esse inficiari: & Deum aliquem humanæ naturæ expertem facere: Quid verbis opus est: Exstat Philippi ad Lutherū epistola Vuitebergæ, anno 1565. edita, ex qua quantum Scriptura sacra (ne quid vehementius dicā) Augustanæ confessioni præponderet, perspicuè intelligitur: nam pag. 3. præclarum hoc de crebra ipsius varietate testimonium exstat: In Apologia quotidie multa mutamus. Locum de Votis, quia erat exilior multo, exempti, supposita alia disputatione eadem de re, paulo uberiore. Vellem percurrisse articulos fidei, in quibus si nihil putaueris esse vitij, reliqua vñcunque tractabimus. subinde enim mutandi sunt, atque ad occasiones accommodandi. Item ad amicum quendam, pag. 480.

Ego conatus sum eam sententiam in *Apologia explicare*. sed ibi propter aduersariorum calumnias non sic loqui licet, ut nunc coram loquor, & re ipsa idem dico. Hæc Philippus, testis in isto nego cione irrefragabilis. Et certè sic se res habet, ut nullus post Apostolorum etatem, quantumvis pius, sanctus, & eruditus Ecclesiæ Doctor fuerit, cuius in scriptis non multos næuos, ne dicam errorēs, animaduertere liccat. neque quemquam istorum Nugatorum tam imperitum esse arbitror, ut non quosdam vel Augustini, vel Ambrosii, vel Irenæi, vel aliorum veterum scriptorū errores possit ostendere. Denique Retractionum Augustini liber exstat, non minus humanæ ipsius infirmitatis, quam pietatis & modestiæ Christianæ testis idoneus. Itaque Lutherus in eadem Operum suorum præfatione, hanc quasi protestationem aduersus istos Condemnatores adposuit: *Ante omnia, oro pium Lectorem, & oro propter Dominum nostrum Iesum Christum, ut ista legat cum iudicio, imò cum miseratione: & sciat me aliquando monachum fuisse.* Præterea quanta Ecclesiæ Christi pernicies adferretur, si tanta vilius hominis scriptis, quanta sacrīs litteris auctoritas tribuatur? Exstat vetus quidam libellus, cui titulus est, *Canones Apostolorum,*

lorum. In eo tam multa stultè & absurdè  
scripta sunt, vt legi sine fastidio nō possint.  
veluti, Vt qui viduam mulierem vxorē du-  
xerit, qui in Baptismo non ternas immer-  
siones, sed vnam tātūm fecerit, qui carnem  
bestiis exceptam comederit, ab Ecclesiæ mi-  
nisterio arceatur. Verum tamen liber ille  
multas per actates eadem superstitione in  
sacrarum litterarum numero habitus est,  
qua nunc nobis Lutheri scripta pro sacris  
Oraculis obtruduntur: exstantque & Iusti-  
niani & Caroli Magni constitutiones, qui-  
bus Canones illos pro Apostolicis haberi  
iubent. Ac memorabile est, quod in Capi-  
tulari Caroli Magni, eodē ferè loco tradit-  
tur, dānari ab illo Imperatore impostores  
quosdā qui clandestinò epistolā quandam  
Dei nomine cōflatant, eamq; de cælo dela-  
psam affirmabant: ac iam per annum inte-  
grum proponere populo & recitare in Ec-  
clesiis adsuenerat: cùm tamen & ipsius Ca-  
roli Magni, & superiorum Imperatorum  
constitutionibus sanctum esset, nequid in  
Ecclesiis, nisi ex sacris litteris de promptum  
recitaretur. Sed age: stetur ipsius Lutheri  
verbis, & eum non iudicē, sed astipulato-  
rem habebimus, vtpote qui in concione  
quadam Postillis maioribus inserta, de na-

tali Domini, aperte se fateatur his ipsis in rebus errasse, & quod est naturæ, tribuisse personæ, & contrâ. quæ sanè ingenuitas illum ab omni errore vindicat.

**Q**VINTA Nullitatis causa posita est in forma corrogandi suffragia & subscriptio-  
nes istius voluminis Vbiquitarij: quæ tota  
cōditionis clandestinæ simillima est. Satis  
constat yoluminis istius architectos consi-  
lium inter se cepisse, de suffragiis & subscri-  
ptionibus partim blanditiis & precibus ef-  
flagitandis, partim Principū quorundā au-  
toritate & gratia exprimēdis. quinetiā in  
quedā eorū exēpla prēclarū articulū offe-  
dimus: *In singulis ciuitatibus subscribet Parochus*  
*cum suis Capellanis, non solum suo nomine, sed e-*  
*viam omnium aliorum parochorum, capellorum,*  
*& scholarcharum qui eiusdem sint dioecesis: modò*  
*prius ab ipsis approbationem & potestatem sub-*  
*scribendi obtinuerint. subscribent autem in hunc*  
*modum: Ego N. parochus & superintendens a-*  
*pus N. & cum eo N. & N. parochi apud N. &*  
*N. N. itidem N. N. illi adiuncti subscribimus tam*  
*prō nobis ipsis, quam pro N. parocco, capellano &*  
*scholarcha, qui sunt omnes numero N. N. Nos*  
*istam clandestinam & arcana procuran-*  
*dæ religionis rationem non modò ab Apo-*  
*stolo-*

stolorum consuetudine alienam esse con-  
tendimus: verum etiam Sibyllinorum sa-  
cerdotum aliarumque profanarum religio-  
num institutis plane consentaneam: qua-  
rum antistites occulta istiusmodi & arca-  
na de religionibus consilia inibant. Fida si-  
lentia ( inquit Lactantius ) sacris instituta  
sunt ab hominibus callidis , ut nesciat po-  
pulus quid colat. Orpheus ab his quos ini-  
tiabat ( inquit Firmicus ) in primo vestibu-  
lo cum terribili auctoritate religionis exe-  
git, ne profanis auribus composita religio-  
nes proderetur. Sic Cæsar cōpositas Druy-  
dum religiones in occulto ab iis continerit  
solitas cōmemorat, magnāmque ab iis cau-  
tionem adhibitam, ne in vulgus efferen-  
tur, ac ne litteris quidem mandarentur. Ec-  
clesia Christiana ab istis clandestinis coi-  
tionibus, cōciliabulis, & factionibus abhor-  
ret: atq; illam visitatam regulam obseruat,  
vt quod omnes tangit, ab omnibus appro-  
betur. Deus ipse cū suæ Religionis leges  
duabus in tabulis prescriptas populo suo  
tradidit, non illas Mōsi aut Aaroni in oc-  
culto commisit: sed ipsemēt sacratissima  
sua voce, tāquam & legislator simul & prē-  
co, de superiorē loco apud vniuersum po-  
pulum pronūcianit: & multis post sēculis,

cadem sacratissima voce Filiū suum nobis  
præceptorem tradens, è cælo pronuncia-  
uit: Hunc audite. Neq; vnquam in Ecclesia  
**Christiana** tāta paucis aliquot hominibus  
auctoritas tributa est, vt arbitrio suo Reli-  
gionis formā præscriberent, aut exortas de  
illa controuersias soli disceptarent. Ac vi-  
dere licet apud Ecclesiasticos scriptores,  
factiones Eusebij Nicomedensis Episcopi,  
Valentis item & Vrsatij, horum nostrorum  
**Cursitatorum** institutis quàm simillimas:  
quibus factionibus atq; arbitris sensim Ar-  
rianismum in Ecclesiam Christianam indu-  
xerunt. Cùm esset exorta inter Apostolos  
*Aet. 15.* quæstio, An extranei non circūcisi, & Mo-  
saicæ legis ceremoniis non initiati, ad Euan-  
gelium admittendi essent, conuentus o-  
mnium Ecclesiæ pastorum & seniorum in-  
dictus est, in quo ea controuersia non pau-  
corum arbitrio, sed omnium sententiis ex  
Scripturæ auctoritate dijudicaretur. Sic  
*1. Cor. 14.* Paulus ad Corinthios scribēs, si quā de re-  
ligione controuersia exorta sit, iubet pasto-  
res non in occultis cœribus, sed palam in  
Ecclesia, eam cognitionē suscipere: & eam  
ex verbo Dei dirimere. Sic exortis Arii no-  
uis & impiis disputationibus, Nicena Syno-  
dus coacta est, ad quam Pastores Ecclesia-  
rum

rum conuenerunt: & re ex verbo Dei quæsita ac deliberata, scelerati hominis impietatem cōdemnarunt. Idemque institutum in Nestorio, Eutychete, Macedonio, Apollinari, cæterisque fanaticis damnandis magna Episcoporum frequentia usurpatū est. Nam in Niceno cōcilio, quo Arius damnatus est interfuere pastores 318. in Constantinopolitano, quo damnatus est Macedonius, centum quinquaginta: in Ephesino primo, quo Nestorius damnatus est, ducenti: in Calchedonensi, quo Eutiches damnatus est, sexcenti & triginta. Quod si paucis aliquot, quantumvis apud Principes & milieculas gratosis, tanta in Ecclesiam Dei auctoritas permittatur, immane, quātus ad corrumpendam religionem aditus aperietur. Memoriae proditum est, Theodosij Imp. ætate, veteratorem quendam fuisse Dioscorum nomine, Alexandrinæ ciuitatis Episcopum. Is cum Aulicis artibus & blanditiis in Principis & Eudoxiæ Augiſtæ, atque aliquot procerum gratiam sese insinuasset, impetravit, ut causa Eutychetis frequentissima Synodo damnati denuo cognosceretur. Cum ei Flavianus, Cōstantinopolitanus Episcopus, vehementius adversaretur, Dioscorus impetum in illum

fecit: pugnis & calcibus præcipitem è con-  
uentu eiecit. quid multa? Cùm Flauianus  
triduo pòst iis ictibus cōcitus occubuisset,  
tāta nihilominus Dioscori rabies fuit, vt in  
illius mortui ventrem pedibus insultaret.  
vnde Synodo nomen λησπονή, vt Nicepho-  
rus & alii testantur. Non absimile illud Ar-  
delionum aulicorum artificium fuit, quod  
nuper legisse memini. Cùm Orientales ad  
eam superstitionem perducti essent, vt pa-  
sim monasteria magnis iacturis ac sumti-  
bus instituerentur, atque opimis latifundiis  
dotarentur, Imperator Nicephorus Pho-  
cas modū illis iacturis imposuit: ac yetuit,  
ne qua deinceps noua monasteria institue-  
rentur. Aliquanto pòst Basilius secundus,  
Monachorū blanditiis delinitus, eam con-  
stitutionem abrogauit, hac addita clausula,  
quòd à Monachis, qui in Aula sua versaren-  
tur, didicisset, illam Phocę constitutionem  
omnium, quæ tum per Orientem grassa-  
bantur, calamitatum causam fuisse. Ac no-  
stris temporibus complures istiusmodi in  
aulis Principum & gynecæis Ardeliones  
reperi, satis opinor esse notum.

D I C E s fortasse, Lector beneuole, Quid?  
Tu igitur ecclesiarū nostrarū vulnera pa-  
lām

Iam apud aduersarios detegis: an nescis naturæ & gentium iure interdictum, ne parentum & consanguincorum verecundiā nudemus? Ut corporis vulnera, inquit Cæsar, sic exercitus incommoda tegēda sunt: ne spes aduersariis augeatur. Itaque laudatur Constantini factum in Nicena synodo, qui fasciculum criminacionum, aduersus Episcopos inter se conflictantes sibi traditum, in ignem abiecit: inquiens, Episcoporum vitia tegenda, ne plebis animi à religione alienentur. Quis negat? Veruntamen si cuius parēs iis in partibus corporis, quas occultari natura & pudor iubent, male affectus esset, vtrum illud incōmodum celari esset satius, an parētem ad curationē suscipiendam non modo nudari, verum etiam, si opus esset, alligari? Vetus & verum illud verbum est: Bona est turpitudo, quæ periculum vindicat. Nunquam periculum sine periculo vincitur. Crudelem medicum intemperans æger facit.

MVLTA quidem diuinæ prouidentiae documenta nobis quotidie ob oculos versantur. Sed illud in primis, quod Christus Ecclesiam suam in tantis humani generis motibus ac tempestatibus tuetur. Vedit æ-

tas nostra furiale bellum ciuile ptimum in  
 Heluetia: tum deinde in Germania, pro-  
 pter causam Religionis. aliquanto post in  
 Anglia. Quindecim iam annos ardere vi-  
 demus Galliam ita tætro & exitiali bello,  
 vt tantum ac diuturnum incendium sola  
 florentissimi quondam regni ruina restin-  
 gui posse videatur. Ecce autem in Belgio  
 nouas intestini belli tragœdias: quas credo,  
 vt quondam Ædiles suis Diis, ludos gladiato-  
 rios edebat, ita Romanum Pontificem Sa-  
 thanæ, (suo siue Ioui, siue Diti patri) tan-  
 quam Ædilem pro ludis & delectamento  
 præbere. Fuit enim Sathā (vt scriptura testa-  
 tur) à principio mundi Homicida: ac pro-  
 inde cruentis & sanguinariis ludis, cedibus,  
 homicidiis delectatur. Inter has bellorum  
 ciuilium flamas ita credo Ecclesiam Chri-  
 sti conseruari, quasi Pyralim, quæ in arden-  
 tibus fornacibus volitans apparet: atque (vt  
 Plinius memoriae prodidit) quamdiu est in  
 igne, viuit: cum evasit, longiore patilo vo-  
 latu, emoritur. nisi potius & magis piè dicé-  
 dum est, quasi rubrum illum ardenteum, in  
 quo Deus Mōsi apparuit, qui flamma qui-  
 dem ambirebat, integer tamen & inco-  
 lumis manebat. Cùm autem variæ sint hu-  
 mani generis procellæ & perturbationes,  
tum  
 Job. 8.  
 Exod. 3.

tum illa capitalis, si quādo intestinæ in Ecclesia Christi contentiones oriuntur. Nam in corporibus nostris externum frigus aut calorem vitare sponte nostra facile possumus. at iā in venas & prēcordia receptum propulsare, sine præstantis alicuius Medici ope, vix ac ne vix quidem possumus. quid verò si etiam inter ipsos Doctores rixæ & contentiones exarserint? ánon ut Pastores, quibus grex tuendus est traditus, si inter se bacchari & rixari incipient, aditum in septa lupis voracibus præbent: ita ministri Ecclesiarum suis litibus & concertationibus viam Sathanæ insidiis muniunt? Deus omen detestabile auertat. sed magnum periculum est, nisi quāmprimum Illustrissimi, potentissimi & clementissimi Germaniæ Principes suorum Theologorum rixas, discordias, contentiones pro suo imperio compescant, ne idem ad extremum in Germania vsu veniat, quod olim in Oriente contigit. Vexatus fuerat Oriens per aliquot ætates diutinis Theologorum factionibus. Percrepabat orbis terræ nominibus Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Monophysitarum. Dies me deficiet, si veterum sectarum & factionum nomina percéscere insti-

tuero. non plures turbulentu mari vento-  
 rum ac turbinum tempestates audiuntur,  
 quam Theologorum cōcertationes per il-  
 la tempora videbātur. Ad extreū quid  
 accidit? Dum Pastores inter se dimicant,  
 Leo rugiens videt aditum in Ouile Chri-  
 sti Dei patefactum. Mahumetem introdu-  
 cit. Miseri mortales tot rixarum & iur-  
 giorum pertæsi sese illi totos dedunt. Iterū  
 à Deo suppliciter precor, ut hoc detestabi-  
 le omen auertat. sed istæ tam diuturnæ,  
 tam pertinaces, tā insanę Theologastrorum  
 quorundam concertationes de Ubiquitate,  
 de Consustantiatione, de Omnipræsentia,  
 Omnipotentia humanitatis, corpore mai-  
 statico, de Eutychiana disparitione Christi,  
 de impanatione, suppanatione & compa-  
 natione, quibus scholæ & templa & cōcio-  
 nes perstrepunt, quem exitum habituræ  
 sint, pertimesco. Nolite locum dare Dia-  
 Ephes. 4. bolo: inquibat Paulus: & eius insidiis ac mo-  
 litionibus viam munire. Ecce nobis supra  
 caput Leo rugiens, tyrannus Turcicus. ex  
 altera parte, Moscouiticus. ex altera item  
 Pontifex Rom. Cūm Dei cultum Samari-  
 tani neglexissent, accidit (inquit Scriptu-  
 ra) vt Ichoua immitteret in illos Leones à  
 quibus laniabantur. Quare multo consul-  
 tius

tias videretur, finem aliquando seditiosis istis disputationibus auctoritate Principum imponere, & à diuturnis istis argutiis ac dissensionibus conquiescere: ne Papæ & Papistis, aduersariis nostris, diutius de nobis ridendi materiam præbeamus: nam, ut est apud Vergil. Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ: & si versum illū imitari licet: Hoc Papa discupiat, magno redimāt- que Papistæ. Lutherus ipse testatur, in con- trouersia de Cœna domini de verbis pos- tius, quām dē re diseptari. nam Tomo 7. suorum operum fol. 385. a. ita loquitur: *Primū hoc certū est, Zuingliū & Oecolāpadium, licet verbis dissidentiā, tamen de re idē sentire. Eò accedit ipsius Zuinglij testimonium, qui in Cōfessione ad Regē Galliæ Frāciscum I. ita loquitur: Asserimus, non sic carnaliter & crassè manducari corpus Christi, ut isti perhibent, sed verum Christi corpus credimus in Cœna sacramen- taliter & spiritualiter ēdi à religiosa, fideli & sancta mente.* Iam verò quanto disputationibus istis præjudicio esse putamus, quòd tandiu tan- ta ac tam constans omnium Helueticarum, Gallicarum, & Anglicarum Ecclesiarum in omnibus & singulis suæ Confessio- nis articulis consensio videtur? Nusquam inter Euangelicas Ecclesias, nisi in vnica Germania, furiales istæ & tragicæ disputa-

tiones audiuntur. Multæ sunt in Heluetia  
præclaræ & opulentæ ciuitates, multæ pa-  
sim Academiæ, & scholæ, multi eruditæ &  
præstantes doctrina viri. Nullæ inter illos  
dissensiones audiuntur, nulli seditiosi libel-  
li iactantur. Quantus est in Anglia, Scotia  
& Gallia præstantium virorum numerus?  
At nullæ inter eos rixæ, nulla dissidia, nul-  
læ spinosæ disputationes commemoratur.  
Vbique summa pax est: concors & tran-  
quillus illarum Ecclesiarum status, quod  
quidem ad Religionis doctrinam attinet.  
Ministri omnes coniunctissimis animis, pro  
Christi Euangelio contra Romanum Anti-  
christum, eiusque satellites, Episcopos, Ca-  
dinales, monachos, Iesuitas pugnant. Qua-  
ex re quo spiritu nostri Rixatores prædicti  
sint, facile est existimare. Deus est concor-  
*1. Thes. 5.* diæ & pacis auctor: inquit Paulus. Itaque ad  
*Rom. 12.* Roman. scribés: Si fieri potest (inquit) quā-  
tum in vobis est, cum omnibus hominibus  
pacem colite. & ad Colos. Induimini beni-  
*Colos. 3.* gnitate, modestia, mansuetudine, lenitate,  
tolerantes alij alios, & pax Dei dominetur  
in cordibus vestris. Ex contrario discordiæ  
& iurgia & contentiones dicuntur esse à  
spiritu Diaboli. Nō oportet ministros Dei  
esse pugnaces, & rixatores, inquit Paulus,  
sed

sed placidos erga omnes, & mansuetos &  
aptos ad docendū. Ac passim aliis locis stu-  
tas, inanes, otiosas & nugatorias disputatio-  
nes argutiarū & verborum plenas detesta-  
tur: quæ potius ad quæstiones (inquit) quā  
ad ædificationem pertinent. Quinetiam a-  
liis locis disertè nominat *νορωμαχιας*, quibus <sup>1. Tim. L.</sup>  
tit. 3. ait auditorum animos & conscientias labo-  
factari, potius quām doceri & i. ædifica-  
ti. Item alio loco, *Siquis tradit eam doctri-* <sup>2. Tim. 2.</sup>  
nam quæ non sit consentanea pietati, is tur-  
get: nihil scit: insanit circa quæstiones &  
pugnas verborum: ex quibus nascuntur in-  
uidiae, lites, maledicentia, conflictationes  
hominum mente corruptorum, veritatis  
expertium, & pietatem quæstui habentiū.  
Quibus verbis quis non videt, Nugatores  
& Rixatores nostros cum suis verborū no-  
llitatibus designari, &, ut dici solet, suis co-  
loribus depingi? Quanto esset optabilius,  
illos in legendis & relegendis Scripturis sa-  
cris, & sœpe apud populum percurrentis,  
quām in syllabis & literarū apicibus excu-  
tiendis ætatem consumere? Quām multas  
beatorum myriadas in cælo, cum Christo  
& Angelis esse arbitramur, qui de tot scho-  
lasticis argutiis ne vocem quidē ullam un-  
quam audierunt? & solis Biblia contenti,

persecutionum tempore, vnicum ab illo libro dolorum & afflictionum suarum solatium ac lenamentum petebat? Quanto esset optatius, his miseris temporibus quibus Jesuitæ grassantur, idem nos facere quod canes Pastorum solent: qui si, dum inter se pugnant, Lupum ouili propinquantem videant, omissa concertatione, concordibus animis, impetum in illum faciunt? Annon miserum & luctuosum est, idem propè videre inter Germanicas & Helueticas Ecclesiás discidium, quod Roboami temporibus inter xii. tribus Israelis exortum est, cum decem tribus à reliquis duabus functionam illam discessiōnem fecerunt?

**D**IC E S. nunc, Beneuole lector, Ecquid igitur tantis malis atq; incommodis remedium? Primum ut toto pectore, verisque genitibus, adhibitis etiā ieuniis, Deū obtemperemur, vt propter filij Domini nostri Iesu Christi nomen, hos tātos fluctus ac tempestates compescat: & cum se pacis Deum atque auctorem prædicet, discordias & dissensiones istas extinguat. deinde ut pro illustrissimorum Germania Principum salute, atq; adeo gentis totius pace & tranquillitate solennes precatio[n]es adhibeantur;

tur: iisdemque Principibus gratiae singula et  
ribus verbis agantur: eorumque pietas, san-  
ctitas, religio laudibus in cœlum feratur;  
quod salutem Ecclesiarū otio suo & quiete  
te antiquiorem duxerint: ac tardiu tam pa-  
tientibus animis, istas diuturnas Pastorum  
concertationes tolerarint: postremo ut  
suppliciter atque obnoxie per sacrosanctum  
Christi nomen ab ipsis petatur, primum ut  
frequentem Scripturæ sacre lectione scho-  
lasticis omnibus argutiis & disputationibus  
potiorem ducant: eamque suis ciuibus per  
Theologos & pastores suos assidue com-  
mendari iubeant: fuitiles autem & inane  
~~λογοπαχίας~~, quæ à sacrarum literarum lectio-  
ne, & piarum historiarum cognitione ho-  
mines abducunt, Sophistis & Sorbonicis re-  
linqui. deinde ut veterū Principū Christia-  
norum instituto cōuentum moderatorū a-  
liquot Theologorum quamprimum indi-  
cant: cui etiam ipsorum nonnulli (Con-  
stantini & Caroli Magnorum exemplo) in-  
teresse, ac pro sua auctoritate præesse ve-  
lint. Et quoniam si quando ipsi in morbum  
incident, nō dedignantur, quamuis longin-  
quis ex locis & regionibus medicos acce-  
dere, si quos ingenio & doctrina præstantes  
norunt: suppliciter etiam rogādi videntur,

ne grauentur in istis Ecclesiæ vulneribus  
curändis idem facere, & aliarū quoque gen-  
tium Theologos adhibere: vt inuocato, cō-  
iunctis animis & precibus, summi Dei nu-  
mine, ratio aliqua sedandarum controver-  
siarum infeatur: quam mentem, vt Deus quā  
primum inuictissimis illis Principibus im-  
mittat, toto pectorē illum propter nomen  
filij sui Domini nostri Iesu Christi obte-  
stamur.

F I N I S.

E R R A T A C O R R I -  
*genda.*


- Pagin. 15. lin. 12. Verùm ecquonam argu-  
mento?  
Pag. 22. lin. 14. in quodam eorum exempla-  
ri præclarum habemus.


67537833

И К О А Т Я

Б

Причины и  
предпосылки  
развития  
и становления  
современного  
общества





1944-52

